

tus est. Hanc, ne Theologos commemorem, complectuntur Io. Cluuerus, in Diluculo Apocalyptico T. I. c. 11. p. 4. Kromayerus ad h. l. Suicerus in Thesauro, Stephanus Le Moyne, in Not. ad V. S. p. 1015. Owenus in Θεολ. c. 1. p. m. 5. Hammondus in Not. ad hunc locum, qui tamen styli addit sublimitatem, multique alii, a Io. Georg. Dorschaeo, in Not. XLVI. ad Append. Scelotom. laudati, qui ipse huic pariter sententiae adstipulatur. Recentissime uero nouam proposuit Zach. Grapius, ὁ μακαρίτης, in Comp. Theol. p. 4. qui denominationis rationem a uisionibus petit Maiestatis DEI, inter choros Angelorum praesentis, a quibus ex Ezech. I. prima Theologiae Iudaicae antiquissima pars uocatur *מרכבה* *השמי* *opus quadrigae*. Ergo, nisi me omnia fallant, datum est Ioanni hoc nomen ad imitationem Iudaeorum, et, quam illi habebant, Theologiae diuisionem.

XXIII. Sunt momenta quaedam ante praestruenda, quam ad ipsius quaestionis, sententiarumque discussionem descendamus. *Primum* est, denominationis ratio omnium optime in ipso libro inuestigatur, et ex eodem petitur. Cum enim Ecclesiae Doctores, neque in Epistolarum, neque *Ευαγγελίου* inscriptione Theologum eum nominarint, sed saltem in fronte *Αποκαλύψεως*, non caret, opinor, probabilitatis specie, ad ipsam *Αποκάλυψιν* potissimum illos respectum habuisse. Quid? quod ipsam inde *Αποκάλυψιν* nominarint *Θεολογικήν*. Testes sunt uersiculi *άνονύμης* cuiusdam, exhibiti a Steph. Le Moyne, in Not. ad V. S. p. 1015.

Θεολογική δ' Αποκάλυψις πάλιν

Σφράγις πέφυκε τῆς δε τῆς βιβλῆς πάσης.

*Alterum* est, duae quaestiones probe hic sunt distinguendae. Quaeri enim potest, absque omni temperamento, eccur Ioannes nominetur Theologus? et cum temperamento, eccur speciatim in Inscriptione *Αποκαλύψεως* ita appelletur. *Tertium* est, gentes, superstitioni deditae,